Nobilissime et amplissime Domine,

Dissertationis tuae de usu et abusu Organorum duo exemplaria accepi: quorum alterum nobiliss. heroinae nostrae Schurmannae tradidi. Agit ipsa gratias pro munere hoc literario; ago et ego, quas possum maximas. Judicium meum voluissem nunc quidem perscribere, nisi impedirent aliae quaedam meditationes, quarum editio nunc urgetur; et accurationi diatribae aliquando publicandae totum hoc, quidquid est, reservarem. Schurmannae nostrae icona, quem ipsa pinxit et sculpsit, si forte nondum vidisti, hic exhibeo, atque una versiculos, quibus nuper abiturienti hinc eximio I C. D. Schotano remoram injicere conata est; sed frustra. Deum precor, te spiritu suo gubernet; ut raro atque admirando exemplo verae sapientiae et pietatis studia loco ~~et~~ ac saeculo tam importuno pro viribus porro ornare ac promovere pergas. Ultrajecti VIII Eid. Mart. CIↃ.IↃC.XLI.

Nobilit. et Amplitud. tuae
observantissimus
Gisbertus Voetius.

Voetius (Gisbert), jurisconsulte hollandais, écrivain protestant

© Koninklijke Bibliotheek
72 D 37, nr. 5a
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2670

Nobiliss. et Ampliss.

Constantino Huygens equiti,
toparchæ in Zuylichem, et
Celsiss. Principi Arausio-
nensi à secretis.

Hagam-comitis.

© Koninklijke Bibliotheek
72 D 37, nr. 5a
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2670